

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Morea

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-118360)

Regio.

Nomina.

Unda dicta.

Situs.

Imperium majorem.

Urbes.

**H**Æc de præcipuis Græciæ Regionibus quæ sunt in Continenti: *Morea* & *Candia* succedunt explicandæ. Prior *Peloponnesus* Ptolemæo, Straboni, Steph. Procopio ceterisque, Peninsula est, hodie *Morea*, a *Maurorum* fortasse incursionibus. Olim Appollodoro & Plinio testibus *Asia* & *Pelagias* vocata fuit. *Argos*, & postea *Argos Achaicum* nuncupatum, tradit Strabo; & *Achaia*. Orofius 1 cap. 11. Item Apuleius v 1 Afini. *Pelopia* etiam Eustathio: & *Inachia* Stephano. *Egialia* vocatur quoque in Eusebii Chronico. *Peloponneso* nomen est a *Peloe* homine Barbaro, qui ex Asia protectus hic regnavit. *Pelops* enim Insulam sonat, cum Insula non sit, sed Peninsula, Platani folio, ut scribit Mela, simillima, pari pene longitudine & latitudine. Ejus Perimetrus est quatuor M Stadiorum, quibus Artemidorus addit cccc. Isthmo adheret continenti, cujus Latitudo est Stadiorum xl. Angustias istas perfodere multi irritò ausu tentaverunt, quos inter Demetrius, C. Cæsar, Caligula, Nero & alii: quo inlilito frustratis, murum ducere placuit, quem *Hexamilium* vocaverunt. Eum Amurathes Turca dejecit, Veneti restituerunt, Anno c15cccc1111 spacio xv dierum; sed Turcæ iterum eundem postea solo æquarunt. In hoc Isthmo Neptuni olim Templum fuit, ad quod *Ludi Isthmici* celebrati. Ceterum *Peloponnesum* ad Ortum respicit Mare Creticum: ad Occasum Ionium sive Hadriaticum: ad Septentrionem Corinthiacum habet Sinum, & Saronicum, inter quos Isthmus clauditur: ad Meridiem habet Mare Mediterraneum. Peninsula porro hæc Caput & Arx totius Græciæ est, & ut ait Plinius, haud ulli terræ nobilitate postferenda. Ea siquidem rebus omnibus, quæ vel ad victum uberiores vel ad elegantiores vitæ cultum spectant, sua fecunditate, affluentiæque insignis est. Colles enim & planities frugiferas habet, ac Sinibus & Portibus refertissima est, quos Promontoria multa efficiunt. Peloponnesum incolere *Elii*, *Messenii*, *Achivi*, *Sicyonii*, *Corinthiaci*, *Lacones*, *Argivi*, & *Arcades*. Fuitque hæc Græciæ pars toto Orbe quondam maxime celebrata propter *Mycenarum*, *Argivorum*, *Lacedæmoniorum*, *Sicyoniorum*, *Eliensium*, *Arcadium*, *Pylorum* & *Messeniorum* Respublicas, & Imperium, ex quibus multi claruerunt Principes, ut *Agamemnon*, *Menelaus*, *Ajax*, & alii. Ac loci ipsius, tum situs, tum majestas Imperium quondam totius pene Græciæ obtinuit. Athodie tota *Peloponnesus Turcarum* dominio subjecta est, quemadmodum & reliqua Græcia: licet fuerit ab aliquot *Regulis* Græciæ quos *Despotas* vocant, & a *Venicis* annis superioribus gnaviter defensa. Præ est autem nunc Turcæ Imperatoris nomine toti *Moreæ Sangiacus*, inter ceteros potentissimus, qui *Modoni* moratur, & ad mandatum *Beglerbeii* totius Græciæ mille equites adducit, quos suo stipendio alit. Vocatur hic *Sangiacus* a Barbaris *Morabigi*: cujus annuus in hac Provincia reditus est 15cc mill. asporum, hoc est xiv mill. Aureorum. Univerfam autem hanc regionem in octo Provincias fuisse divisam ex Ptol. & aliis auctoribus constat, quæ sunt *Corinthia*, *Argia*, *Laconica*, *Messenia*, *Eliis*, *Achaia*, *Sicyonia* & *Arcadia*. *Corinthia* in Isthmo sita est: nomen ei a primaria urbe quæ primum *Ephyre* dicta fuit. Eam Cicero merito







merito *Gracia Lumen* vocat. Vtrimque Portum habuit, quorum alter Asiam, alter Italiam spectabat; qua oportunitate loci urbs subito crevit: juit eam etiam Isthmicorum ludorum celebratio. *Acrocorinthus* in monte erat 111 stadiorum ac dimidiati altitudine, sub ea erat *Corinthus* ambitu xl stadiorum. In vertice montis ædes eart Veneri facta: cui vicinus mons *Pæne*, quem fama finxit a Pegaso illic unglæ ictu excussum. Everia est urbs a L. Mummio, quod in ea legati Pop. Romani excepti essent indignius, post annos nongentos quinquaginta duos quam ab Alete Hippotis filio erat condita, ut est apud Paterculum. *Argia* sequitur: hodie *Romania* Ortelio. Vrbes hujus tractus *Mycena* regia Agamemnonis, unde Ovid. *Agamemnonia* dicta, celebres a Templo Iunonis vetustissimo & religiosissimo, unde Argiva Iuno. Eam Cyclopes muro scribuntur cinxisse. Non procul inde fuit *Lerna* palus, ubi Hercules Hydram Lernæam, seu potius Latrones ad ea loca latrocinantes, sustulit, vicit & dissipavit. *Argos*, urbs extructa, ut aliqui perhibent ab Argo. *Nauplia*, hodie *Neapolis* Romanæ urbs munitissima. *Epidaurus* in Saronici Sinus recessu, Æsculapii Templo celebris: *Amycla*. *Argiam* sequitur *Laconica* sive *Laconum* regio. Hujus Metropolis *Sparta*, quæ etiam alio nomine vocatur *Lacedæmon*, hodie *Misthra*: urbs olim magna & potens. Fuit hæc non muris, sed civium virtute septa; non hinc operum magnificentia sed disciplina institutisq; Lycurgi Pomponio memorabilis, & quæ cum Athenarum urbe deinde de Imperio dimicavit, quemadmodum Thucydides id libris v111 exposuit. *Leuctra* nota è Plutarcho a Filiarum Scedali trilli & tragica hiltoria. *Epidaurus* quæ hodie *Malvasia*, *Messenia* a Taygeto Monte & fluvio Pamiso ad Alpheum usque porrigitur. Primaria ejus urbs *Messene* ad mare sita, hodie *Matragia* dicitur. *Aristomenis* Messenii præstantissimi viri patria, qui referente Paulania, hirsutum cor mortuus habuisse, deprehensus fuit. Sunt & *Methone* nunc *Modon*, insignis quondam & nunc Sangiaci Turcici sedes. *Corone* nunc *Coronæ*. *Pylus* patria & sedes Nestoris Homericæ trilecli illius & dulciloqui. Et *epirissii* hodie *Arcadia*. *Elis*, inter Messeniam, Achaiam & Arcadiam sita est. Vrbes, *Elis* per quam mediam Peneus & Alpheus fluebant, memorata Jovis delubro, Ludorum claritate fastos Græcorum complexa. *Olympia* celebris a ludis Græcorum solemnibus, quæ *Olympia* dicta fuere, & templo Jovis Olympii sumtuosissimo, quod hominum frequentia potentissimorumque Regum donariis adeo crevit, ut in tota fere Græcia nullum fuerit magnificentius, nullum clarius, opibus, cum etiam Jove ipso nihil ibi putaretur sanctius, nihilque augustius. *Cypselus* Corinthiorum tyrannus, Jovem totum aureum Olympiæ consecravit. Deinde *Phidias* Atheniensis simulachrum ejus Dei, ex ebore & auro stupenda & insolita magnitudine erexit, utpote pedum lxx. In quo opere illud ab aliis artificibus reprehensum, quod simulacri ad templum nulla esset proportio. Cum enim in eburneo throno sederet Jupiter, capiteque templi fastigium contingeret, necesse erat, siquando defatigatus ebutenus ille Deus surgere vellet, ut Templi culmen una cum tecto dejiceretur: Et *Pisa*. *Achaia* ab Ptol. propria cognominata, Ab Araxo Promontorio usque ad Sicyonios extenditur, quorum terminus communis est fl. Sus; ad Austrum



Austrum est mons Stymphalus, ad Septentrionem Sinus Corinthiacus. Vrbes *Dyme* quæ nunc *Chiarenza*, unde Promont. Araxeum vocant *Capo di Chiarenza*: *Olemus*, *Patra* urbs insignis olim, nunc *Patras* dicitur: *Ægira* urbs recentioribus temporibus *Vostiza* vel *Bostiza* dicta, & a Turcis excisa. *Ægira* urbs quondam primaria in colle aspero atque difficili posita, quæ nunc diruta jacet & *Xilocastro* dicitur. Et in *Crisæo* Sinu *Helice*, *Bura*, *Pellens*, *Sicyonia* inter Achaïam & Alopum sita: primaria ejus urbs *Sicyon*, omnium Græcarum urbium vetustissima, & tempore Abrahæ condita, Templis, aris, statuis, simulacris plenissima Fuit & *Phlius*, quæ forte ea est quam hodie vocant *Vasilicon*. Superest *Arcadia* regio Peloponnesi mediterranea, undique a mari remota. Hujus urbs *Megalopolis*, patria Polybii gravissimi ac sapientissimi Scriptoris. Hodie *Leontari* dicitur. *Stymphalus*, unde *Stymphalis* palus, & aves *Stymphalides*. *Lilea*, *Mantinea*, *Psophis*. Civitates autem totius Peloponnesi nobilissimas, quasi compendio complexus est Ovid. lib. v i *Meta morph.*

*Ennumi Proceres coeunt in besque propinqua.*

*Oravere suos ire ad solatia reges:*

*Argosque & Sparte, Pelopidesque Mycena,*

*Et nondum torvæ calydon invisa Diane,*

*Orchomenosque ferax, & nobilis ere corinthus,*

*Messeneque serox, Patraque humilesque cleova,*

*Et Melea Pylas, nec adhuc Pytheia Træzen,*

*Quæque urbes alia bimari clauduntur ab Isthmo.*

Amnes celebriores sunt *Asopius*, nunc *Arbon*, *Theveto*; *Penetus*, nunc *Nigro* & *Theveto Igliaeo*: *Alpheus*, qui *Flumina*, ad colis *Ropheia* dicitur, ut *Sophiano* placet, & secundum Nigrum *Orphea*: *Italis* vero nautis *Carbon*: atque huic flavio *CXL* amnes inlabuntur: & albas maculas ac impetiginem sanat. *Pansus*, *Stromio* nunc *Nigro*: sed *Parnaxa* in *Tabulis Castaldi* & *Mercatoris*, totius Peloponnesi fl. maximus. Hujus aquæ puerorum & infantium morbis mederi dicuntur. *Eurotas*, hodie *Basilopotamo* *Sophiano* & aliis, sed *Iris* *Nigro*: cujus ripæ *Laurro* abundant: & *Inachus*, qui *Plunzza* hodie est *Sophiano* & aliis. Reliquos prætereo. Montes *Stymphalus* Mons *Montes*, *Arcadiæ* altissimus, qui *Dominico Nigro Poglici* dicitur. *Pholoe*, *Xiria* *Nigro*. *Cyllenius*, *Melæ*, *Cyllene*, *Strab.* totius *Arcadiæ* altissimus. *Menalus*, *Menalius* *Melæ*. *Cronium* *Ptol.* *Grevenos*, *Nigro* *Zarex*, *Gemistus* *Zaraca* vocat. *Munthe* *Ptol.* & *Strab.* *Olonio* vocatur *Nigro*. *Evan* videtur apud *Pausaniam* dici, ab *Evoe* *Bacchantium* voce: quod hoc loco *Bacchus*, & quæ eum sequebantur mulieres, sic exclamasse credantur. *Taygetus* *Plinio*, *Pausaniæ*, *Vibio* & *Steph.* Peloponnesi mons in *Laconica*, ut nulla celebris visum effugiat Civitas. Hic Mons varias *Feras* nutrit, consecratus *Baccho*, *Apollini*, *Dianæ*, *Ceteri*. In *Morea* *Episcopi* juxta *Provinciale Romanum* hi: *Archiep.* *Corinthiensis*, sub quo *Argivensis*. *Arch.* *Patracensis*, sub quo *Coloniensis*, *Mothonensis*, *Coronensis*, *Amyclensis*, *Androvillensis*.

Ccccij

Tandem